


Johann Jakob Quistorp Clamor Joachim Blumenthal

## **Dissertatio Theologico Dogmatica De Ratione Modoque Quo Peccati Fomes In Finaliter Credentibus Exstinguitur**

Rostochii: Müller, 1765

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830179542>

Druck Freier  Zugang





Via Proprietas sive Dupl.

71

572

Fa-1092 (ii.)

- N. 1. Wippel *Labum sub Daniel Eremita.*
- N. 2. Christoffelius *lingularia oettingensia*
- N. 3. la providence ne s'interesse point à l'individu mais à l'espece.
- N. 4. Tychsen *abbreviaturarum hebraicarum supplementum l.*
- N. 5. Burfeker *de gazza derelicta futura ad illustrandum locum Zeph.*  
 xl. 4. *Dissertatio postposita.*
- N. 6. Ernesti *de praeparata corpori et sanguini Christi in coena sacra.*
- N. 7. ~~Ernesti~~ *de Concilio Tridentino part. l.*
- N. 8. Aepinus *Imp. Caroli Ch. merita in rem sacram.*
- N. 9. Charvicius *de sapientia sanctissima rite colenda.*
- N. 10. Tychsen *de delectu veterum ebraeorum dissertationis l.*
- N. 11. Witte *de genuina S. G. uniuersali natione.*
- N. 12. Boederlein *de finibus theologiae dogmaticae et moralis recte consistendis.*
- N. 13. Weidenes *quod salus aeterna non meritis nostris sed solum Dei gratia per meritum Christi acquiritur ne talis.*
- N. 14. Dem Regentur male regens et fanatici reditum ad Papismum frustra suadent.
- N. 15. Rufius *de veris sinceris peccatoris Christi requisiti etc.*
- N. 16. Zauche *de lege aequilibratae in natura obseruatae etc.*
- N. 17. Schmid Verſio Alexandrina optimum interpretationis librorum  
*sanctorum praedictorum*
- N. 18. Richter *de theologo Dei Romine ad 2 Thim. III. 17.*
- N. 19. Schubert *de iudicio Joannis Caluini et Figurorum in causa  
 Haereticorum*
- N. 20. Zachariae *de usu dogmatico nomini filii Dei.*
- N. 21. Emmerling *interpretatio. Num. XXII. 20-31.*
- N. 22. Hoerſchelmann *de diuina punctorum vocalium et aereentium  
 codicum hebraici origine.*
- N. 23. Haempfer *de modo praedicationis Paulinae per aegaeum dicit  
 I Cor. II. 4. 5.*
- N. 24. *idem de modo praedicationis etc.*
- N. 25. Haestner *Erkenntnisgrund des Unsterblichseins des menschlichen Geistes.*
- N. 26. Christoffelius *de vita Pamingerorum commentarius etc.*
- N. 27. Becker *quaestio: an aeterna annihilatio hominum peccatorum  
 fore etc.*

- N. 28. Rector et senatus academicus civibus Academiae Fredericanae Butowien-  
 N. 29. Fauvotius de poena hereticorum etc.  
 N. 30. Doederlein de vero usu atque abusu rationis humanae in rebus diuinis  
 N. 31. Dem de usu atque abusu rationis etc.  
 N. 32. Rector Academiae Lipsiensis Pentecostales ferias etc.  
 N. 33. Rector et senatus academicus civibus Academiae Fredericanae Butowien-  
 N. 34. Academiae Fredericanae Butowienfis Rector et senatus acade-  
 micus memoriam resurrectioni Christi etc.  
 N. 35. Dem solennia natalia Domini nostri Jesu Christi etc.  
 N. 36. Zachariae Christus  $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\tau\omicron\kappa\omicron\varsigma\ \epsilon\kappa\ \tau\omega\upsilon\ \rho\epsilon\gamma\eta\omega\upsilon\upsilon$ .  
 N. 37. Rector et senatus academicus Butowienfis etc.  
 N. 38. Zachariae Christus  $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\tau\omicron\kappa\omicron\varsigma$   
 N. 39. Rector et senatus academicus Butowienfis etc.  
 N. 40. Marrius de jurisprudentia diuina ex codice sanctissimo.  
 N. 41. Becker an Gn. D. Teller nisi negata vera spiritus sancti deitate etc.  
 N. 42. Dem an Christus in sua explanatione et ascensione etc.  
 N. 43. Chryzander de fundamento explanationis Christi Romini maiestatis.  
 N. 44. Dem recensio scriptorum eruditorum  
 N. 45. Rottboell de vestibus et calceis Israelitarum.  
 N. 46. Trendelenburg de Iudaeis etc.  
 N. 47. Ministerii quae hinc hinc Pastoralis scripturae etc.  
 N. 48. Rector vniuersitatis ad solennia paschalia etc.  
 N. 49. Quistorp de ratione modoque quo peccati fomes etc.  
 N. 50. Becker creationis vniuersi gloria filio Dei etc.  
 N. 51. Quistorp de  $\lambda\omicron\gamma\omega\ \text{Pauli}$  (1 Cor. 1. 5).  
 N. 52. Prier de sanctis angelis et apostolorum etc.  
 N. 53. Detharding de cura infantum recentium penes etc.  
 N. 54. Martini de non usu iudicii denuntiatorii in Megapoli.

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO. THEOLOGICO. DOGMATICA  
DE  
**RATIONE. MODOQVE**  
QVO  
**PECCATI. FOMES. IN. FINALITER**  
**CREDITIBVS. EXSTINGVITVR**

---

QVAM  
SVB. AVSPICIIS. DIVINIS  
S. VENERABILI. THEOLOGORVM. ORDINE  
CONSENTIENTE  
DIE. XXI. SEPTEMBRIS. MDCCLXV  
**IN. ACADEMIAE. ROSTOCHIENSIS**  
AVDITORIO. MAIORI  
HORIS. CONSVETIS. PVBLICE  
TVEBVNTVR

PRAESES  
**IOANNES. IACOBVS**  
**QVISTORPIVS**

S. S. THEOL. DOCT. METAPH. P. P. O. ET. FACVLT. SVAE. HODIE  
DECANVS. AD. DIV. NICOL. AED. PASTOR. NEC. NON. REV.  
ET. SEREN. EPISC. LVBEQ. DVC. SLESV. HOLSAT.  
A. CONSIL. CONSIST.

ET  
RESPONDENS  
**CLAMOR. IOACHIMVS. BLVMENTHAL**  
WISMARIENS.

PHILOS. ET. S. S. THEOL. CVLTOR

---

ROSTOCHII  
LITTERIS. MVLLERIANIS

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to fading and the texture of the aged paper.

V I R O

GENEROSO. ET. MAXIME. STRENUO

DOMINO

CAROLO. DIEDERICO

DE. SIBRANDT

MILITVM. PRAESIDIARIVM

IN  
LIBERA. REPUBLICA. IMPERIALI

LVBECENSI

PRO. TRIBVNO. DEXTRIMO

DIGNISSIMO

PATRONO. MAECENATI

ET

STVDIORVM. SVORVM. PROMOTORI

AETERNVM

SVSPICIENDO. ET. DEVENERANDO

HANC  
DISSERTATIONEM. THEOLOGICO  
DOGMATICAM

A. SE  
STVDIORVM. SI. QVAE. SVNT. RATIONEM  
REDDITVRO

DEFENDENDAM

SACRAM. ESSE. CVPIT

ET

MENTE. PIA. GRATAQVE  
VETERVM. MORE. CLIENTVM  
COMMENDATVRVS

SE. STVDIAQVE. SVA

D. D. D.

RESPONDENS  
CLAMOR. IOACHIMVS. BLVMENTHAL

*Freund!* zeig dich der Welt! zeig dich zu *Quistorps* Ruhm!

Folg Ihm! Er führet dich zur wahren Weisheit Quelle;

Er lehret dich die Schrift, der Christen Heiligthum;

Was darin dunkel scheint, macht Er dir klar und helle.

Folg Ihm nur treulich nach! so wie bisher gesehn;

Hör ferner aufmerksam und fleißig seine Lehren;

So kanst du auch, wie Er, getrost zum Streite gehn;

Du kanst der Spötter Reich, der Laster Tempel stören.

Doch ja! Du wagst es schon, du fängest ietzt schon an,

Das, was du glaubst, durch Schrift und Schlüsse zu beweisen.

O! fahre fort, mein *Freund!* verbleib auf dieser Bahn;

Dann werden dich auch noch die spätesten Enkel preisen.

Hiedurch stattet dem Herrn Respondenten seinen Glückwunsch ab, und  
bezeuget zugleich seine ungeheuchelte Liebe und Freundschaft

Desselben

Rostock,

den 18. Septemb. 1765.

aufrichtiger Freund und Bruder,

**Johann Georg Westphal,**

aus Wismar,

der H. H. G. G. B. Opponent,

PRAENOBILISSIMO NEC NON DOCTISSIMO  
**DOMINO RESPONDENTI**  
AMICO SVO SVAVISSIMO

S. D. P.

OPPONENS

**IOACHIMVS HENRICVS PRIES,**

S. S. THEOL. CVLTOR.

**S**i quid est, carissime **BLUMENTHAL**, cuius recordatio animum meum gaudio replet dulcissimo; inita sane **TECVM** est familiaritas, quam, in hac **Mu-  
farum** sede, quamdiu litteris sanctioribus addiscendis operam dedi, tamdiu  
abs **TE** mihi obtigisse laetor. Efflagitant iam officii mei rationes, vt non iis  
tantum omnibus applaudam, qui omnibus **TE** prosequuntur faustissimis; ve-  
rum ipse etiam **TVIS** hocce tempore laudibus carmen consecrem, et politus-  
limatum, et numeris adstrictum aptissimis. In laudes **TVAE** quam spatiosissi-  
me excurrere, **TVAE**que merita vberius persequi, facillimum mihi quidem fo-  
ret; sed verendum omnino erit, ne id alienum sit partim epistolae rationi-  
bus, partim vero modestiae **TVAE**, cognitae mihi satis ac perspectae, ex qua  
ab omni praeconiorum genere, modum excedente, vtique adhorres. Abs-  
que vllis itaque verborum lenociniis lactis Fautorum atque Amicorum con-  
gratulationibus ita assentiar, vt neque auribus **TVIS** insidias facere, neque  
amicitiae nostrae deesse videar. Gratulator **TIBI**, Amice exoptatissime, exi-  
mios **TVOS** in omni litterarum cultura progressus, sacrarum maxime, quae fu-  
turo demum Ecclesiae Doctore ornamento esse poterunt. Gratulor pietatem,  
eruditioni perfectissimae indissolubili vinculo iunctam, quam nouis quotidie  
adhuc contentionibus perfectiorem reddendo operam das. Gratulor litte-  
rarum ardorem minime communem, quem omnes quidem in **TE** deprehen-  
dent, qui vna **TECVM** praelectionibus intersunt academicis, diligentiamque  
indefessam, qua documento esse omnibus poteris, quos doctrinae solidioris  
desiderium capit. Gratulor praesertim hancce dissertationem, quam publice  
tuendam suscepisti, neque sine communi Auditorii applausu defensurus es.  
Gratulor denique Praefidi Grauissimo, Fautori ac Praeceptorum meo aeternum  
colendo, Viro de Ecclesiae et Republica litteraria immortaliter merito, Re-  
spondentem, officii sui partes quam exactissime expleturum, dissertationem-  
que hancce, erudito modo conscriptam, ea animi praesentia defensurum,  
qua non implebit solum, verum superabit etiam omnium de se expectatio-  
nem amplissimam. Prouocasti me ad huncce conflictum, cui me omnino sub-  
ducerem, si ex virium mearum imbecillitate iudicandum mihi esset; sed quam  
benevolentiae amicitiaeque **TVAE** indicium exhibeat, subterfugere hancce  
pugnam omnino non potui; noluique eo minus, quo maiori hocce abs **TE**  
mihi demandatum negotium honori esse cognosco. Adero ergo, publiceque  
de doctrinis illis maximi momenti **TECVM** decertabo, quae a Praefide grauis-  
simo ea, qua solet, soliditate exposita sunt: totius quamuis Auditorii assen-  
sum in **TE** deuolutum visurus, victus manus dare cogar. Nihilo tamen se-  
cius **TVVS** semper ero; multique quanquam hac in re antecellere mihi con-  
tendant, eius tamen principatum adpetam, omnibusque viribus enitar, vt  
amicorum **TVORVM** locum obtineam principem. **TVO** interim fauori, atque  
amicitiae sempiternae memet commendo, **DEVM** simplex inuocans, velit cun-  
ctis **TVIS** conatibus ex alto benedicere, vt omnia quaeuis prosperrima et ex  
voto **TIBI** succedant. Vale. Dabam **XVIII. Calend. Octobris, A. R. S. MDCCLXV.**

NOBILISSIMO. ET. DOCTISSIMO  
DOMINO  
CLAMOR. IOACHIMO  
BLUMENTHAL

DEFENSORI

HUIUS. DISSERTATIONIS. ERUDITO

S. D. P.

HERMANNVS. IACOBVS. LASIVS

GRAECAE. LINGVAE. PROF. ORD.

Qui litterarum sunt amantes, iustumque scientiis pretium statuere norunt, non possunt non publice gaudere, quando vident, iuvenes ingenii alacritate praeditos egregia eruditionis suae specimina edere, nomenque et famam petere ex litterarum studiis. De futura enim meliori atque laetiori scientiarum conditione divinant, sperantes, fore ut eiusmodi adolescentes bonae indolis, Musisque se dicantes, in harum castris non sine gloria ac fructu militent, bonarum artium munimenta propugnaturi, quin et istarum fines prolaturi. Hinc, quibus ampliora atque angustiora scientiarum incrementa cordi sunt, suum esse ducunt, iuvenes eruditos, in lucem quasi et diem publicam prodeuntes, faustis prosequi adclamationibus, et suam sponte currentibus calcas adhuc addere. TIBI ergo, AMICORVM OPTIME, iniquus forem, mihi que ipsi irascerer, nisi me adiungerem gratulantibus TIBI, cathedram ascendenti, in eaque disputando specimen egregiae indolis luculentum dare cupienti. Ex quo enim inter alios huius Academiae Doctores et me praecceptorem elegisti, cum admiratione TVAM et docilitatem et diligentiam amavi, atque iure TVO TE semper magni feci. Quae mea in TE amicitia non fucata in causa est, ut TIBI de praesenti in litteris periculo, quod es iam iamque facturus, gratuler. DEVS faxit, ut pergas, qua coepisti, et nostris temporibus ipsisque litteris sis ornamento futurus. Dabam Rostochii d. XVI. Sept. MDCCLXV.

PRAENOBILISSIMO  
AEQVE AC DOCTISSIMO, PRAESTANTISSIMO  
DOMINO  
RESPONDENTI  
AMICO SVO HONORATISSIMO

S. D. P.

OPPONENTS

CHRISTIANVSLVDOVICVS WEHNER

REV. MIN. CAND.

Quamvis in eo prope sit, de quo Viri longe doctissimi iam pridem sunt conquesti, quod multi inter eos, qui scientiarum castra sequuntur, ac in spem Ecclesiae vel Patriae erudito consecrantur ordini, rebus vanitati morumque depravationi seruientibus plus temporis quam solidae litterarum cognitioni tribuant: tamen non desunt, qui, cupiditate et disciplinarum ardore incensi, tanta industria ad earum studia se conferunt, quanta ad doctrinam sibi conciliandam requiritur profundam. Te, Vir Praenobilissime inter hos omni laude dignissimos collocare iuvenes, meum esse satis existimo. Diligentia Tua egregia, qua adhuc studiis incubuisti, aequae ac aliae Tuae virtutes non fucatae, quae virum bonum atque scientiarum cultorem decent, Te non solum Praeceptorum Tuorum amori, sed et omnium commilitonum commendarunt amicitiae. Et sane! non sine voluptate a primo momento, quo meam in notitiam venisti, Tuam auiditatem, qua Te ad humaniora adplicasti, miratus, minime dubitavi, Te hac ex antiqua Musarum sede euasurum esse multo doctiorem, atque Parentum Patriaeque votis responsurum. Quam opinionem me non fefellisse, nunc Tuae eruditionis primitiae satis sunt documenti, quas Tibi gratulor. In arenam ad omnia paratus descendis disputatoriam, ut publicum Tuae diligentiae exhibeas specimen. Age! Vir Praenobilissime, praesta Te virum et cuius Te praebeas exemplum aemulatione dignum. Faxit Deus! ut omnia fausta feliciterque eueniant, atque Tibi ex votis succedant. Liceat mihi, hoc vnicum insuper addere, conferues mihi fauorem amicitiamque Tuam vltiorem. Valeas. Dabam d. XVI. Kalend. Octob. A. R. S. MDCCLXV.

DISSERTATIO. THEOLOGICO. DOGMATICA  
DE  
**RATIONE. MODOQVE**  
PECCATI. FOMES IN. FINALITER  
CREDENTIBVS. EXSTINGVITVR

CONSPECTVS.

- §. I. Ingressus et Instituti Ratio.
- §. II. Negotii expediendi Difficultates, et Limites, intra quos subsistendum.
- §. III. Quaestionis generalis in duas specialiores de Ratione MODOQUE, quo in Anima, quo item in Corpore Fomes Peccati exstinguitur, Resolutio. Auct. anon. *der schriftm. Eroert.* notatus. Transitus ad Quaestionem posteriorem, primum excutiendam.
- §. IV. B. MEISNERVS b. GERHARDVS et b. SCHERZERVS ex Cinefactione partim, partim ex Resurrectione Exstinctionem Fomitis Peccati, ast cum Restrictione ad solum Corpus, deriuantes, frustra a b. KOENIGIO. b. QVENSTEDIO. b. CANZIO et Auct. anon. *der schriftm. Eroert.* petiti. Fomitis Peccati in Corporibus Exstinctio ex Mente illorum et reicienda post Mortem, et successiua in se.
- §. V. Speciosa, ex Hypothesi de Corporibus ex Fructu Arboris vetitae Partibus accessoriis et virulentis infectis, Sententia de Exstinctione Fomitis Peccati in Corporibus per Cinefactionem et Resurrectionem.
- §. VI. Reiecta tamen illa, fractaque Argumenta pro ista militantia.
- §. VII. Fomitis Peccati, formaliter spectati, in ipso Mortis Articulo, et per ipsam Mortem Exstinctio in Corporibus adserta.
- §. VIII. Solutio Dubii, ab Infidelibus et Impiis, vel post Resurrectionem adhuc peccaturis, petiti.
- §. IX. Transitus ad Quaestionem alteram de Ratione MODOQUE, quo in Mentibus Peccati Fomes exstinguitur, quique aut naturalis aut supernaturalis est, istiusque in septem alias Resolutio.
- §. X. Exstinctio Fomitis Peccati in Anima per ipsam Mortem, non a b. KOENIGIO, saltem non satis clare et perspicue, at tamen satis expresse a b. PFAFFIO adserta.
- §. XI. b. PFAFFIVS, refutatus, laudatus b. CANZIVS. §. XII.

§. XII. Fomitis Peccati in Anima Exstinctio intermedio quodam in Statu. Varia huius excogitata Genera. Restrictio ad illud praecise, quod Purgatorium et Cruciatu in illo infert.

§. XIII. Habitus et Relatio eiusdem ad Fomitis Peccati in Anima Exstinctionem. Purgatorium explosum, reiectaque Exstinctio Fomitis Peccati in Anima per Cruciatu Purgatorii.

§. XIV. Fomitis Peccati in Anima Tempore Mortis Exstinctio per Vim emendatae Indolis, sublatumque in Credentibus Peccati Dominium. **B. CANZII** pro illa Argumenta.

§. XV. **B. CANZII** in illa tuenda a Via regia Aberrationes, et minus sufficiens ad extinguendum Tempore Mortis in Anima Peccati Fomitem Vis emendatae Indolis.

§. XVI. Fomitis Peccati in Anima per collocatam post Mortem in eo Animae separatae Operam et Studium Exstinctio. **B. SPENERVS** isti fauens.

§. XVII. Istius cum Figmento Status intermedii arctissimus Nexus, et vna cum hocce Proscriptio.

§. XVIII. Transitus a deficientibus Causis naturalibus, tam externis, quam internis, ad extinguendum in Anima Peccati Fomitem compositis, ad Dis-

quisitionem de Causis supernaturalibus. In Quaestionem venientes tres enumeratae.

§. XIX. Fomitis Peccati per veri Nominis Miraculum in Anima Exstinctio. Theologi inter Nostrates, istam diserte quidem non adferentes, ast fauere tamen illi visi. Argumenta pro illa.

§. XIX. Reiecta illa, ob Nodum non solum, sed secatum, Miracula nimium multiplicata, et Vitium Argumenti, quo nititur.

§. XXI. Successiua post Mortem Fomitis Peccati in Anima Exstinctio per intimiorem ad Visionem Dei beatificam Admissionem, et Praesentiae diuinae specialioris Efficaciam, eiusdemque vberior Declaratio.

§. XXII. Isti fauens **b. BAUMGARTENI** Locus. Argumenta, quae Praesidio illi sunt, eiusdemque Vindicatio a Suspensione Status intermedii subintroducti.

§. XXIII. Fomitis Peccati in Anima Exstinctio per Actus Gratiae ordinarios. Cumulus Argumentorum, quibus anon. *Auct. der schriftm. Eroert.* istam tuetur.

§. XXIV. Laudata eadem ob magnam veri Speciem, et Consensum cum vniuersa de Gratia SPIRITVS s. applicatrici Doctrina, ast non admittitur, propter non relictum isti apud plurimos ex Credentibus Vita fungentibus Locum.

§. XXV. Successiua hinc post Mortem Fomitis Peccati in Anima per intimiorem ad Visionem Dei beatificam Admissionem Exstinctio plene adferata, cum Peroratione et Conclusionem.

§. I.



§. I.



POST euictam peculiari Dissertatione Exstinctionem Fomitis Peccati in finaliter Credentibus tertius iam elapsus est Annus, ex quo curatiorem de Ratione etiam Modoque, quo is in finaliter Credentibus exstinguitur, Disquisitionem a me expectari passus sum. Et Temporum Rationibus, et Negotiorum atque Laborum, Mentem indies ad alia reuocantium, Mole ad id coactum me sensi. Ne tamen Fidem publice datam fallere videar, quidquid in praesentia Otii mihi concessum est, id omne ad liberandam vel hac in Parte istam conferam, et nihil ultra moratus Operam nauabo, ut potiora, quae circa Fomitis Peccati in finaliter Credentibus Exstinctionem, huiusque speciatim Rationem Modumque quaeri disceptarique possunt, rite hac, quam item ad publicum Examen defero, Dissertatione excutiantur, et plana perspectaque euadant. Adsit, precor, SUMMVM NVMEN Gratia sua SPIRITVQVE Veritatis Conatibus his meis, tribuatque iisdem, ut nonnihil saltem ad Nominis sui Gloriam et Doctrinae sanctioris Confirmationem conferant.

A

§. II.



## §. II.

EXPEDITV interim non vsque adeo facile est Negotium, ad quod me in praesentia accingo. Vere aliquando, et vel in Morte, vel post Mortem Peccati Fomitem in finaliter credentibus exstingui, id quidem diferte satis, prout in Dissertatione superiori ante Triennium demonstratum dedi, SCRIPTVRA S. docet. Ast quomodo ille exstinguatur, pro More suo, ex quo communiter circa  $\gamma\delta$   $\gamma\epsilon$  solum subsistit, et Silentio  $\gamma\delta$   $\pi\alpha\omega\varsigma$  premit, nullibi Locorum ex Instituto, et clare atque distincte determinat. Theologorum item nostratium plerique intactam plane in Systematibus et Compendiis suis hanc Causam reliquerunt: Et qui forte inter illos de Adjunctis, atque in his de Duratione speciatim Peccati Originis dicturi, in illam inciderunt, hi omnes, tantum abest, vt eandem perorauerint, vt potius paucissimis tantum, si a b. CANZIO <sup>(a)</sup> et Auctore anonymo *der Schriftmaessigen Eroerterung* <sup>(b)</sup> discesseris, partim obseruauerint, quae circa Peccatum Originis et in illo distinguenda veniant, partim vero Causas varias, quarum Virtute vnunquodque ex his, atque sic Peccati etiam Fomes, tolli ipsis visum est, nihil vltra progressi, nominauerint. Accedit, quod, si vel maxime scrutando genuinae Causae, a quibus Exstinctio Fomitis Peccati pendet, detegantur, illarum tamen, potissimarum saltem, Causalitas, operandi Modus, ipsiusque, de qua quaeritur, Rei Genesis et Ortus ab illis distincte euolui, et ad Oculum demonstrari nequeat. Deslitutus hinc Ducibus propemodum omnibus, et non sine Periculo Suspicionis, supra SCRIPTVRAM sapiendi, iter hic mihi ingrediendum est; quod quidem nemo sanus vilipendet: Et satis simul mihi esse debebit, protrahere in Lucem Causas, quibus Peccati Fomes in finaliter Credentibus exstinguitur, relicto altiori Indagini Modo, quo in huius Exstinctionem istae influunt, eamque operantur. Intentatum interim nil quidquam relinquam, quo SCRIPTVRAE atque Analogiae Fidei conuenienter Scopo mihi praefixo in tantum satisfaciam, in quantum satisfieri illi pro Rerum nostrarum Conditione praesenti potest, et de Ratione Modoque, quo in

(a) in der Fortsetzung der Reinbeckischen Betrachtungen ueber die Augsp.

Confess. IX. Th. LXXVI. Betr. §. XXIX. sqq. p. 35. (b) p. 37. sqq.



in finaliter Credentibus Peccati Fomes exstinguitur, plura rectioraque doceam, quam docta haecenus sunt.

§. III.

GENERALIS est Quaestio, quae Rationem Modumque spectat, quo Peccati Fomes in finaliter Credentibus exstinguitur, et sua sponte atque ex ipsa Rei Indole et Natura in duas specialiores magisque determinatas ea resoluitur. Totus Homo, prout Anima et Corpore, tamquam Partibus suis essentialibus, constat, originalis Peccati Labe infectus est, et congenita ipsi Praitate laborat IOB. XIV. 4. PS. LI. 7 IOA. III. 5. 6. Menti quidem potissimum atque primario haec insidet GEN. VI. 5. VIII. 21. I COR. II. 14. EPH. IV. 8. 18. Ast transit tamen eius Virus simul per totam Corporis Compagem, cum intensissima Partium Virium et Facultatum istius Corruptione, idemque tamquam Sedem suam secundariam occupavit MATTH. V. 29. XVIII. 8. ROM. VI. 12. 13. VII. 24. Vtraque igitur hac Sede sua, necesse est, moneatur residuus in finaliter Credentibus ad Mortem vsque Peccati Fomes, et in Corpore non minus exstinguatur, dum in Mente is exstinguitur. Verum pro diuersissima Mentis Corporisque Constitutione et Natura fieri id non eadem potest, sed diuersissima Ratione, et per Actus et Mutationes varii Generis. Quapropter distincte etiam mihi procedendum erit, ita quidem, vt Rationem Modumque, quo in Mentibus finaliter Credentium, quo item in Corporibus illorum Peccati Fomes exstinguatur, sigillatim inuestigem atque declarem. Posterioris Disquisitionem quidem Auctor anon. *der schriftmaessigen Eroerterung* non vsque adeo necessariam, quid quod? omnino nihil ad Rem facere censet. *Soll, inquit (°) von der Hinwegnehmung dieser Dinge (quae Peccatum Originis suo Ambitu inuoluit) geredet werden: so muß man meines Behalts nichts von dem reden, was mit dem Leibe vorgehet, sondern man muß von der Seele reden, und wann und wie sie aus der selben kommen.* Et recte omnino haec sese habent, si de sola Anima, et residui in illa Fomitis Peccati Exstinctione quaeritur. Ad eam procurandam parum aut omnino

(c) p. 64 seq.



nihil conferunt, quae in sui Mundationem et Liberationem a Peccati Fomite Corpori, tamquam huius Subiecto secundo, accidunt. Ast iudicandum longe aliter est, dum latius, et ad finaliter Credentes, non ad solas illorum Mentis, atque ad Fomitis Peccati in istis, non in his solis, Quaestio, quae mouetur, extenditur; quemadmodum vere extendenda et ipsi erat, et mihi est. De Corpore tunc et Liberatione illius ab inhaerente Peccato omnino differendum quoque est, et taceri commode nequit. Ab altera hinc alteram Quaestionem sollicite seiungam: differendi autem Initium a posteriori faciam, quae circa Rationem Modumque, quo in Corpore Peccati Fomes exstinguitur, occupatur, et priori multo facilius expediri potest.

#### §. IV.

AD CINEFACTIONEM partim, partim ad Resurrectionem a Morte vno plures Theologorum antiquiorum sese recipiunt, dum quaeritur de Radice siue Fomite Peccati, et Modo, quo is tollitur: et vtramque pro Caussa media venditant, cuius Virtute Peccati Radix tollitur, siue Fomes illius exstinguitur. Inchoari per Cinefactionem, per Resurrectionem vero cum Glorificatione coniunctam consummari et absolui huius Exstinctionem docent. Testor b. BALTH. MEISNERVM, qui <sup>(d)</sup> *Radice Peccati originalis secundum Theologos per Redactionem in Cineres, vti Sensum per Mortem, et Dominium per Renouationem, tolli obseruat, istiusque Rei Indicium in Putredine et Foetore Corporum exanimatorum* <sup>(e)</sup> deprehendere sibi videtur. Testor item b. IOAN. GERHARDVM, qui <sup>(f)</sup> *Fomitis Sensum in Morte, Fomitem ipsum in Renatis in Cinefactione tolli, hac addita Ratione adserit, quia Renouatio perfecta non est, ideoque Vetustas Carnis siue Fomes plene et totaliter non tollitur, sed semper in ipsis etiam Renatis Peccati et Vetustatis Reliquiae manent, quas in Renatis tandem tollat Cinefactio, quique* <sup>(g)</sup> *ordinarium Modum, quo Peccati Radix e Corpore humano tollitur*

(d) *Anthropologiae S. Disp. II. §. XXV.* (g) *Locor. theolog. Tom. VIII. Tract. I. de Morte Cap. VII. §. 68. pag. 40. b.*  
 (e) *Concion IV. in A. C. p. 95.*  
 (f) *Disp. isagogic. Disp. XXV. p. 898.*



tollitur, inchoative in Cinefactione, consummative in Resuscitatione ad Vitam coelestem et spiritualem consistere docet. Vtrique vero addo b. IOAN. ADAM. SCHERZERVUM, qui posteaquam <sup>(h)</sup> Carentiam Perfectionis congenitae, et Procliuatatem ad Malum veri Nominis docuerat esse Peccatum, cuius Reatus quidem tollatur per Baptismum et Iustificationem, etiam Habitus paulatim siue successiue debilitetur et minuat per quotidianam Renouationem, in hac tamen Vita non plene extirpetur, dicere alias Theologos obseruat <sup>(i)</sup>, Peccatum in Baptismo ac Iustificatione tolli quoad Reatum, ne obsit; in Renouatione quoad Dominium, ne dominetur; in Glorificatione, quoad Radicem, siue ne amplius insit. At enim vero hos inter b. IOAN. GERHARDVS diserte, additisque vocibus: e corpore, abunde satisque luculenter indicat, non nisi cum Respectu ad Corpus residuumque in isto Peccati Fomitem se Cinefactionem et Resuscitationem ad Vitam pro Medio ordinario, quo hicce tollitur, venditare. Neque est, quod dubitet quis, quin reliqui, quos excitaui, cum simili prorsus Restrictione ad Corpus, et seposita Quaestione de Anima, de Cinefactione tanquam Medio Peccati Radicem tollendi, eiusque Fomitem exstinguendi loquantur. Quidquid igitur contra illos b. noster IOAN. FRIDER. KOENIGIVS <sup>(k)</sup> vna cum suo Commentatore b. IOAN. ANDR. QVENSTEDIO <sup>(l)</sup>, b. item ISR. GOTTL. CANZIVS <sup>(m)</sup> et Auctor anonym. *der schriftmaessigen Eroerterung* <sup>(n)</sup> disputant, Destructionem et Cinefactionem Corporis ad Fomitis Peccati in Anima, quae primum atque immediatum eius Subiectum est, Exstinctionem nil quidquam valere, interferentes, id omne, si quid recte video, in vanum abit, istosque non ferit, qui maiori Iure ex hoc Capite notari poterant, quod Fomitis Peccati in Anima, cuius potior Ratio habenda erat, Exstinctionem, huiusque Rationem et Modum plane neglexerint <sup>(o)</sup>. Quotquot interim Theologorum nostrati-

A 3 um

(b) *Breviario theologico* Huelsmanniano enucleato et aucto. Cap. V. Thef. XII. p. 277.  
 (i) *ib.* p. 278  
 (k) *Theol. posit acroam* Loc. de Pecc. Or. §. 92. p. 83.  
 (l) *System. theol.* Part. II. Cap. II. Sect. I. Thef. XXXVII. p. 922.  
 (m) *l. c.* §. XXIX. p. 55.  
 (n) p. 64. sq.  
 (o) conf. b. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, *de Morte naturali* §. 13. p. 52.



um sic sentiunt, et Exstinctionem Fomitis Peccati in Corporibus Credentium ex Cinesactione et Resuscitatione ad Vitam pendere docent, illi eandem etiam manifesto satis ad Tempora Mortem insequentia reliciunt, et non nisi pedetentim per illud, quod inter Mortem et Resurrectionem interiectum est, Temporis Intervallum fieri et absolui statuunt.

§. V.

HABET HAEC Ratio explicandi Exstinctionem Fomitis Peccati in Corporibus Credentium eiusque Modum, quae eam speciosam reddunt, et commendare valent. Magni inter Theologos Nominis Viri Fructui Arboris vititae, cuius Comestionem, tamquam Peccatum omnium primum, intima totius Naturae humanae Corruptio atque Peccatum Originis immediate exceptit, Virtutem tribuunt turbandi et euertendi iustam Partium Corporis, fluidarum, Sanguinis et Spirituum vitalium, maxime, Temperaturam, latensque in illo Virus per totam Corporis Compagem transisse, Fermenti vniuersam Massam fermentantis instar cunctis huius Partibus sese insinuasse, atque sic interueniente Generatione naturali a Parentibus ad Liberorum Corpora transmitti censent docentque. Prae aliis hos inter b. IOAN. LAUR. MOSHEMIVM numero. *Causa*, is inquit (?), *physica Malorum ad Homines* (ex Peccato primo) *deriuatorum nec in Homine, nec in Cacodaemone quaeri potest, sed in ipsa vitiosa Hominis Actione; Fructu scilicet Arboris vititae; ad Deum enim referri plane nequit.* In Fructu ergo illo debet fuisse Potestas, Animam Hominum corrumpendi; Venenum quoddam, quod in Animam et Corpus operari, et utramque Partem deprauare poterat. Et hodie in Terris orientalibus sunt Fructus, quorum Perceptio non modo Vires Corporis, sed etiam Animam Hominum omnibus Perfectionibus priuat. Quum tales ergo Arbores adhuc hodie reperiantur, nemini mirum videri potest, in Fructu Arboris Cognitionis boni atque mali talem Vim reconditam fuisse, quae ineptos Homines effecit ad Felicitatem spiritualem conseruandam et augendam. Neque alienum ab hac Sententia Celeberr. IAC. CARPOVIVM deprehendo. Is enim

(p) Elem. Theol. dogm. Part. II. Cap. II. §. V. p. 479.



enim (9), licet de eo, vtrum Arbor vetita ita comparata fuerit, vt  
 Hominis Corpori nociua fuerit, vt adeo propter hanc Rationem quo-  
 que Comestio Fructuum eius a DEO prohibita fuerit, nihil certi defi-  
 nire audeat, aliis diiudicandum id relinquens, id tamen ipsi  
 ex eo sequi videtur, quod, exinde commodissime Ratio, cur ad  
 Finem Sch. 2. indicatum ex omnibus reliquis Arboribus DEVS  
 hanc, non aliam elegerit, dari posse videatur. Qui itaque cum  
 hisce sentit, quibuscum tamen Theologos antiquiores excitatos  
 sensisse non adfirmauerim, is facile sibi persuaderi patietur, quod  
 magna insit in Cinefactione et Resurrectione Vis ad exstirpandum,  
 quidquid Materiae peccantis ex Fructu Arboris vetitae huiusque  
 Virtute lethifera in Corpore latet. In Pulverem et prima Stami-  
 na dum Corpus exanime successiue per Cinefactionem resoluitur:  
 quidni etiam interueniente et procedente Cinefactione Partes Cor-  
 pus constituentes primigeneae ab accessoriis et praeternaturalibus,  
 a Materia inquam virulenta, quae istis Tempore Lapsus sese infi-  
 nuauit, earundemque Temperaturam iustam turbauit, iterum at-  
 que indies plenius secerni et separari deberet? Post factam au-  
 tem vtrarumque Separationem ecquid, quae! obflaret? quo mi-  
 nus in Resurrectione per omnipotentem et resuscitantem DEI  
 Virtutem Corpora Credentium relictis Partibus accessoriis et prae-  
 ternaturalibus, quas reuocare Sanctitati diuinae minime conuenit,  
 ex solis primigeneis restituerentur, atque adeo omnis, quod Pec-  
 cati aut Fomitis Peccati Rationem habet, expertia susterentur.

§. VI.

QVAE interim modo obseruauit et in Medium attuli, apud  
 me tantum non valent, vt in Partes illorum concedam, qui Fo-  
 mitem Peccati in Corporibus Credentium post Mortem demum,  
 et successiue tantum, Cinefactionis et Resurrectionis Virtute atque  
 Ope exstingui opinantur. Non aequae id solide, atque speciose,  
 meo, si quod est, Iudicio, adferitur. Ex Fructu Arboris veti-  
 tae huiusque Comestione Partibus Corporis humani primigeneis ac-  
 cessorias alias virulentas, istarum Temperaturam debitam turban-  
 tes,

(9) Theolog. reuel. dogm. Methodo II. Cap. II. §. 1099, Sch. 3.  
 scientif. adornata Tom. I. Part. p. 649.





tes, cum sui aut Multiplicatione, aut Rarefactione ad singulos sese diffundentes, et diuersissima semper Ratione quemlibet ad peccandam sollicitantes, vere admixtas esse, et tenacissime inhaerere, id quidem non nisi temere et sine urgente Necessitate sumi poterit, quum Doctrina de Peccato Originis eo facile careat, et sola Temperaturae iustae per Fructum Arboris vetitae eiusque Comestionem in Protoplasterum Corporibus Turbatio sufficiat ad reddendam Rationem Prauitatis singulis etiam Corporibus humanis congenitae, latentisque in his quoque Peccati. Quodsi tamen vel maxime id admitterem atque largirer: inde tamen ad Exinctionem Fomitis Peccati in Corporibus Credentium per Cinefactionem speciatim atque Resurrectionem argumentari non liceret. Disparata enim sunt Exinctio Fomitis Peccati in Corporibus, et Separatio Partium Corporis primigenearum ab accessoriis et praeternaturalibus, quae Tempore Lapsus illis admixtae esse sumuntur: et non nisi praeuia hac istam fieri posse, precario et absque Fundamento in Re, qui adfereret, adferturus esset. Indicium autem eius, quod in Putredine et Foetore Corporum humanorum, dum in Cinerem abeunt, b. MEISNERVS sibi inuenisse visus est, nimium fallax est. Brutorum Cadavera cum aequali Putredine et Foetore Cinefactionem experiuntur: eademque sane ex Principio a Peccati Labe et Fomite toto Coelo distante, iisque, qui Physicorum et Chemicorum Scholas frequentant, abunde perspecto, putrescunt et Foetorem exhalant. Qui igitur ex Putredine et Foetore Corporum humanorum post Mortem tuto satis Fomitis Peccati in iisdem per Cinefactionem Exinctio successiua colligi, istaque pro huius et Effectu et Indicium venditari poterat?

### §. VII.

IN IPSo, nisi me omnia fallunt, Mortis Articulo, non post Mortem demum, in instanti, non successiue, per ipsam item Mortem, non per insequentem Cinefactionem et Resuscitationem ad Vitam exstinguitur in Corporibus Credentium Peccati Fomes. Haec mea hac in Causa est Haeresis: istique non temere et sine Fundamento in Re me Nomen dedisse puto. Quidquid demum illud



illud sit, quod a Lapsu primorum Parentum in Corporibus humanis cum Dispositione illorum ad prava haeret, id quidem fortasse non auolabit simul cum Anima Corpore soluta, neque omnem omnino Vim Principii actuosi exuet. Ast materialiter tamen postea Temporis tantum, non formaliter, vt Principium ad prava disponens atque impellens, Corpori exanimi inhaerebit, et in eo solo totum occupabitur, vt Corporis Compagem soluat, Corruptionem illi inducat, atque adeo destruendo tantum suam in illo Vim exferat. Ad Actus *avopav* et committenda Peccata Corpus huiusque Membra disponere amplius aut abripere non potest. Haec eius, quae tanta olim erat, Vis vel eo ipso Momento, quo Corpus Actuum *avopav* incapax fit, et per Mortem ipsam, quae istud horum Incapax reddit, non potest non penitus exspirare. At enim vero exspirante hac, etiam Fomes, cuius Character proprius est, quod peccandi Causa existat, et ad peccandum continuo impellat, esse desinit, Fomitisque, qui subito exstinguitur, Sortem subit.

§. VIII.

AGE AVTEM, Rem ita vere sese habere: num per Mortem, et in ipso Mortis Articulo in solis finaliter Credentium Corporibus Peccati Fomes exstinguetur? Nonne eadem Ratio, ex qua istud adferui, penes Infideles et Impios recurrit, et postulat, vt in eorum Corporibus Peccati Fomes pariter per Mortem, atque in ipso Mortis Articulo exstingui dicatur? Ego fanè ambabus id largior, proindeque omni Haesitatione procul adfirmo, Infidelibus et Impiis communem esse cum finaliter Credentibus Fomitibus Peccati, quia Corpus per ipsam Mortem Exstinctionem, cum quidem in Modum, vt quidquid istius in hoc Rationem habet, non solum in ipso Mortis Momento Vi disponendi ad prava omni destituatur, sed per insequentem etiam Corruptionem et Cinestationem penitus destruat, et exulare a Corpore Resurrectionis Tempore inbeatur. Immortalia et Destructionis Principio vacua Infidelium et Impiorum pariter atque Credentium Corpora aliquando resurrectura esse, omni Dubio vacat, I.COR. XV. 52. 53. Quodsi autem illa post Resuscitationem ad Vitam Destructionis

B. ... Prin-



Principio carebunt, quidni etiam carerent Principio ad praua disponente, Fomiteque Peccati? Nonne idem, quod in his Terris Corpus destruit, Principium ad praua etiam illud disponit atque impellit, ipsumque inhabitans Peccatum constituit? Cesset igitur, necesse est, per Mortem et insequentem Cinesfactionem atque Resurrectionem vna cum isto hocce. Neque obuerti mihi poterit, quod Infideles et Impii vel post Resurrectionem continuo peccaturi, et Corpore resuscitato ad peccandum abufuri sint PS. LXXIV. 23. APOC. XVI. 9. (\*). Peccant, non nego. omnino, et Corpore ad peccandum abutuntur. Inde tamen non sequitur, vt Corpus illorum resuscitatum ex semet ipso et per Principium intrinsecum ad praua dispositum, et Peccati Fomittem aliquem secum vehens exstiturum sit. Adest aliud, quod ad id sufficit, Principium, Corpori extrinsecum et ab isto diuersum, impia scilicet Mens cum Corpore denuo vnita, atque ad peccandum illud disponens et determinans, eiusque Membris abutens.

## §. IX.

POST expeditam Quaestionem de Corporibus finaliter Credentium, et Ratione atque Modo, quo in his Peccati Fomes exstinguitur, ad alteram magisque impeditam me conuerto, quae Credentium Mentis spectat, et de Ratione atque Modo mouetur, quo Peccati Fomes in illis exstinguitur. Quo autem ea recte solui, iustaque Responione dimitti possit, praestruxisse iuuabit, exstingui in Mentibus finaliter Credentium, dum in illis exstinguitur, Peccati Fomittem debere Modo aut naturali aut supernaturali. Fac, Modo id fieri naturali: fiat id necesse est, per Caussas, aut extrinsecus accedentes, quales quidem forent, vel Mors ipsa, et Vinculi inter Animam et Corpus Solutio, vel Cruciatu diuturniores et grauiore, Animae piae in sui Purgationem plenariam post Mortem sustinendi, aut intus in Anima latentes repetendasque, vel ab emendata ipsius per Regenerationis et Renouationis Gratiam Indole, sublatoque in ea Peccati Dominio, vel a collocata ab illa

(\*) conf. b. FECHTIVS Considerat. Status Damnatorum p. 23 seq. 113 seqq. nec non Lectioib. in Syllogen

selectiorum Controuersiarum Disp. XIII. §. VII. VIII. p. 198.



illa post Mortem in debellando penitus Peccato Opera. Fac contra ea, supernaturali Ratione Exstinctionem Fomitis Peccati in Animabus finaliter Credentium fieri: non poterit non ille exstingui, aut per immediatam Omnipotentiae diuinae Operationem et veri Nominis Miraculum, aut per Efficaciam Praesentiae diuinae specialioris, aut per Actus Gratiae ordinarios. At enim vero his ita praestructis, per singula etiam mihi eundem, et sigillatim disquirendum erit: num per ipsam Mortem? num per Cruciatum Purgatorii cuiusdam? num per Vim emendatae Indolis? num per collocatam post Mortem in debellando penitus Peccato Operam? num per veri Nominis Miraculum? num per Efficaciam Praesentiae diuinae specialioris? num vero per Actus Gratiae ordinarios Peccati Fomes vere in Mentibus finaliter Credentium exstinguatur?

## §. X.

DE ANIMA et Fomitis Peccati in illa speciatim Exstinctione Sermo certo certius est b. nostro KOENIGIO, dum *non in Cincfatione, sed ipsa Animae a Corpore Solutione huncce tolli docet* <sup>(s)</sup>. Addita statim ab ipso eius Ratio, quod *non Corpus, sed Anima primum et immediatum Peccati Subiectum sit*, abunde id loquitur. Verum non vsque adeo clarum est, vtrum nominata Animae a Corpore Solutione ipsa ad exstincti in Anima Fomitis Peccati Tempus, an ad Causam eius median Digitum intendat. Ad Verba, quibus id fit, Praepositionem *in, ex* immediate praecedentibus facile supplendam, et Tempus, quo, non Medium, per quod Fomes Peccati exstinguitur, innuentem subintellexisse videri potest, et vere visus est, qui ipsissimis propemodum eius Verbis retentis ipsius *ἡτοιρον πρῶτης* hic sequuntur, istamque Praepositionem expresse habent, b. QVENSTEDIO <sup>(t)</sup>, b. IAEGERO <sup>(v)</sup> et b. NEVMANNO <sup>(x)</sup>. Nullum contra ea relinquitur Dubium, quin b. PFAFFIVS ab ipsa Morte Animaeque a Corpore Solutione, tanquam Causa sui media, Exstinctionem Fomitis Peccati in ista deriuat. B. KOENIGIVM enim atque sequa-

(s) *Theol. posit. acroam.* p. 83. §. 92.

(v) *Compend. Theol.*

(t) *System. theol.* Part. II. Cap. II. Sect. 1. Theol. XXXVII. p. 992.

(x) *Disq. de ἀποκατάστασις Animae ante et post Mortem* §. 61. p. 124. seq.



ces cum iis conciliaturus, qui Fomitem Peccati per Cinefactionem tolli docent, nos, inquit<sup>(1)</sup>, existimamus, communem Veterum Sententiam, si accurate illa proponenda sit, ita esse inflectendam. Peccati Fomes, siue Peccati Radix, et Macula, et Inhaerentia, est tum in Anima, tum in Corpore. Anima est πρῶτον δεξιῶν, Corpus est δευτέρως δεξιῶν. In Anima tollitur per eius Solutionem a Corpore. Ita recte pro communi Sententia — — cum KOENIGIO caeterisque IAEGERVVS. In Corpore tollitur per Mortem late acceptam, ita ut Cinefactionem includat, per quam non quidem Peccatum ipsum, sed tamen Corpus Peccati totaque Massa corrupta plene planeque dissoluitur, ita, ut ne Vestigium quidem Peccati amplius supersit. Quodsi igitur vel maxime nullum alium, saltem tamen b. PFAFFIVM sui Fautorem et Defensorem inuenit Opinio de Fomite Peccati per ipsam Mortem in Animabus finaliter Credentium exstincto.

§. XI.  
 NIT QUIDQVAM interim, si a b. PFAFFII Auctoritate discefferis, illa habet, quod commendare eam valeat. Mors atque Solutio Animae a Corpore istius externam tantum ad hocce Relationem mutat, solumque tollit Nexum mutuum, qui vtrique intercedit, et ex quo viuum ambo Hominem constituunt. Cum iis, quae ad interiora Animae pertinent, et a Consortio Corporis minime pendent, nihil ipsi Negotii est, et ad ista immutanda aut abolenda eius Vis neutiquam extenditur. Quae quidem si ad Fomitem Peccati transferantur, qui in intimis Animae, si ita loqui fas est, Penetralibus haeret, et in ea Sedem primariam habet, facilis etiam est Illatio, Mortem a Corpore tantum Animam seiungere, non item Peccati Fomitem in Anima exstinguere, et ex ea tollere posse. Atque eandem hanc Illationem egregie illustrant ac confirmant, quae b. CANZIVS habet, et huc transcribere iuuabit. Ita ille: <sup>(2)</sup> *Geschiehet etwa erstlich die Entledigung von allem bösen Triebe vermittelst der Verwesung des Leibes? Will man sich dahin lencken; wie köemt es denn, daß man die Seele vor den Hauptsitz aller suendlichen Neigung haelt? Bessert sich auch ein muthwilliger Reuter,*

(1) l. c. p. 52.

(2) l. c. §. XXIX. p. 85.

Reuter, wenn sein Pferd zu Grunde gehet, und so dem vermodert? Der Seelen Werckzeug ist der Leib, gleichwie das Pferd das Werckzeug des Reuters. Bekehret sich wohl ein liederlicher Einwohner dadurch, wenn ihm sein Haus ueber dem Haupt zusammen faellt, und er entwischet? Vielleicht geschiehet die Reinigung der Seele zweitens dadurch, weil sie vom Leibe in dem natuerlichen Tode abgesondert wird. Doch auch dieser Gedancke scheint nicht Stich zu halten. Was kan die Entfernung vom Werckzeuge zu suendigen bey dem Sueder bewuercken: daß er auf einmahl von der Suede ab und zu Gott herum gelencket werde. Die boesen Gewohnheiten sind in die Seele eingesuncken. Scheidet sich schon die Seele vom Leibe, warum solte sie das Gift nicht mit in alle Oerter nehmen, wohin sie auch faehret?

§. XII.

CESSAT igitur et omnino nulla est Fomitis Peccati per ipsam Mortem in Animabus finaliter Credentium Exstinctio naturalis, relictaque ista progrediendum mihi erit ad alteram, quae eiusdem Generis foret, et post Mortem in Statu quodam intermedio, et per Cruciatu Purgatorii cuiusdam fieri videri posset. Perantiqua, fateor, est, et varias inter Sectas, tam Christianorum, quam Philosophorum Gentilium, recepta Opinio de Statu quodam intermedio, in quo post Mortem, nisi omnibus, piorum saltem Animabus Corporibus solutis ante Ingressum in Regnum Glorae aliquantisper versandum sit. Ast non eandem omnes, qui istam amplexi sunt, Mente informarunt Status eiusmodi intermedii Notionem. Est ille Phychopannychitis siue Hypnopsychitis, quos nostra Aetate famosus ille et luxurians, dum viueret, IO. HEYN<sup>(aa)</sup> in Scenam reduxit, Status alti, quo separatae a Corporibus Animae in vniuersum omnes sopitae iacent, Somni, et inde a Morte ad Mortuorum vsque Resurrectionem vniuersalem atque Iudicium extremum durat. Qui vero Animae post Mortem sui Conscientiam, Intellectus et Voluntatis Vsum, suasque tam Actiones quam Passiones relinquunt, eorum alii istam diu satis circa Corpus exanime commorari, praesentemque huic adesse; alii eandem medio quodam

B 3

(aa) in dem Sendschreiben vom Schlaf der abgesehenen Seelen. FRANCKE. 1746.



in Statu, vbi neque bene, neque male ipsi sit, versari; alii inter Spem Metumque, et non sine anxia Iudicii extremi Expectatione istam, eamque vel piam sanctamque, Tempus transigere; alii illam, a Regno Gloriarum et Visione Dei beatifica exclusam, in istius Vestibulo et Loco quodam Refrigerii, qui Paradisi, Sinus ABRAHAE caet, Adpellationibus Regno Gloriarum contradistinguitur, Felicitate quidem Gaudiisque eximiis, non autem plenis consummatisque, perfundi; alii denique eam ad plenam Felicitatis aeternae Fruitionem ante Iudicium quidem extremum: aut non nisi post Lustrationem dolorificam intensissimosque Cruciatum, a residuis forte hac ex Vita Sordibus illam purgantes, admitti statuunt <sup>(bb)</sup>. In Censum interim hoc Loco maxime veniunt, quos vltimo Loco nominant. Hypnopsychitarum Animae dormientes non possunt non tales euigilare, quales obdormiuerunt, atque illarum ad Mortuorum vsque Resurrectionem Somnus nullius plane est Virtutis ad mundandas ipsas, et extinguendum in illis Peccati Fomitum. Cum Peruigilio contra coniunctis Animarum piarum Status intermedius magis ad id facere credi posset. Quomocumque enim is Mente concipiatur; ex eius tamen Indole abundans semper Animae nasceretur Otium summaque Opportunitas, inchoatam in Vita sui Emendationem perficiendi, et de penitus in se extinguendo Peccati Fomite laborandi. In Quaestionem interim hic vbi de Causis tantum externis, Fomitum Peccati naturali Modo in Animabus Credentium extinguentibus, quaeritur, non ea venire possunt Status intermedi Genera, quae extinguendi Fomitum Peccati Otium tantum atque Ansam Animae Corpore solutae supeditant, sed id vnice, quod Causas naturales easque externas et ad istum extinguendum compositas aduehit, qualeque non nisi illud est, quod pias, aut nondum omni ex Parte puras Animas per Temporis Spatium non exiguum variis Molestiis et intensissimis Cruciatibus in plenariam sui Expiationem et Lustrationem a Sordibus residuis subiicit. Palmam id ipsum facile reliquis omnibus

prae-  
<sup>(bb)</sup> conf. b. VAL. ERN. LOESCHER *Wiederholung der Lehre vom Zustand der abgetrennten Seelen bis zum jüngsten Gericht, in der Samml-  
 lung der besten und neuern Schriften vom Zustand der Seelen nach dem Tode. DRESD. 1735. p. 545. sqq. s. X. sqq.*



praeripuit, multoque his plures inter Christianos a primis Ecclesiae Incunabulis Fautores et Defensores obtinuit. Orientalis Philosophiae Studium primas omnium, quae Ecclesiam turbant, Gnosticas scilicet, Haereses peperit; et quotquot his addictas Sectas numerare licet, eas omnes huius Generis Statui intermedio, et Animarum piarum post Mortem Lustrationi fuisse, non est, quod dubitet, cui Philosophiae orientalis Placita perspecta sunt. Ea speciatim, quae a MANETE condita est, et Manichaeorum Nomen obtinuit, hoc suo Parente Duce diserte docuit, purgatas in hac Vita a crassioribus tantum Sordibus, et per Solis Radios post Mortem primum quidem in Lunam delatas Animas ibidem per XV. Dies Aqua bona a residuis Sordibus externis, Lunae vero tunc etiam Nati in Solem transuectas Igne bona a Sordibus internis per aliquod, aut a Nemine determinatum, Temporis Spatium feruenter purgari, atque sic demum omni ex Parte mundas nitidasque Solis, tamquam alterius Navis, Ope in Regnum Lucis suamque Patriam transficere <sup>(cc)</sup>. Platonica vicissim Schola recentior, quae ALEXANDRIAE Aegyptiorum Saec. II. florere coepit, idem ex PLATONIS Philosophia seruatum Dogma de Animarum post Mortem lento Gradu et per varias Vicissitudines ad DEVM, Patrem suum, redeuntium Purgatione a Sordibus et Vitiis contractis Patribus Ecclesiae, qui ex ista prodierunt, tantum non omnibus, ORIGENI speciatim, commendauit, recipiendique illud Causa exstitit <sup>(dd)</sup>. Quo quidem facto addictissimum sibi illud semper habuit omnem et numerari nescium Mysticorum Exercitum, tandemque Ecclesiae Pontificiae Articulus Fidei fundamentalis euasit. Post Reformationis vero etiam Tempora Fanaticas inter Sectas, quarum Systema semper Mysticismum redolet, et in illum resoluitur, numquam defuerunt Homines, qui purioribus Euangelii Doctrinis Opinionem de intermedio Animarum Corporibus solutarum Statu, et subeunda his ante Ingressum in Regnum Glorae Lustratione molestissima adfuere nulli dubitarunt.

## §. XIII.

(cc) conf. b. IO. LAVR. MOSHE-  
MIVS, Commentar. de Rebus Chri-  
stianorum ante CONSTANTI-

NVM Magnum Saec. III. §. XLIX.  
p. 860. et not. \*\*\*. p. 862. seqq.  
(dd) conf. Idem. I. c. p. 615.



## §. XIII.

SVBSISTERE igitur mihi liceat circa id Status intermedii, Animarum separatarum Genus, quod Lustrationem et Purgationem earundem inter Cruciatum et diuturniores et grauiore inferit, dignumque, ad quod attendatur, prae reliquis omnibus est. Huius quidem Adfertoribus Quaestio de Ratione MODOQUE, quo in Mentibus Credentium Peccati Fomes exstinguitur, nihil Negotii creare poterit. Ipse enim, quem tuentur, intermedius Animarum Status, ipsaque his subeunda Lustratio sponte istius Solutionem suppeditat. Post Mortem, per id, quod in Statu intermedio transigunt, Temporis Spatium, pedetentim in ipsis Peccati Fomes exstinguetur: Huiusque Exstinctio iisdem Causis et Mediis fiet et perficietur, quibus a residuis illae Sordibus purgantur, Virtute inquam atque Efficacia Cruciatuum et Molestiarum illis perpetuandarum, Aquae v. gr. bonae, qua MANES eas in Luna lauat, et Ignis boni, quo idem illas in Sole peruri facit. Neque tamen opus erit, vt ab isthac Ratione, Exstinctionem Fomitum Peccati in Mentibus Credentium, eiusdemque Genesim explicandi, alienum me profitear, aut multum suum in adferendis Argumentis, quae Locum illi concedere vetant. Dudum atque iterum iterumque explorata a Theologis nostratibus est, tamquam in meras Nugas pessimosque Errores abiens, omnis generatim de Statu quodam Animarum Corporibus solutarum intermedio Opinio. eaque speciatim, quae Purgatorium, istarumque Lustrationem per Cruciatum et Dolores a Sordibus residuis introduxit. Quamdiu autem haec explorata et prostrata iacet, inanes quoque manent omnes Conatus, Exstinctioni Fomitum Peccati post Mortem in Statu quodam intermedio suum Locum assignandi, istamque ex Lustratione et Purgatione, Animabus inter varios Cruciatum subeunda, deriuandi.

## §. XIV.

AD CAUSSAS naturales internas, quae exstinguere Fomitum Peccati in Animabus finaliter Credentium cum aliqua veri Specie videri possent, ab externis me nunc conuerto; et primum quidem ad Vim emendatae Indolis, sublatumque in Credentibus Pecca-

ti Dominium. Recipit se ad haecce, et ex natua illorum Virtute eam, de qua quaeritur, Fomitis Peccati Exstinctionem deriuat et explicat b. CANZIVS. Per Organa sensoria Peccatum proxime et immediate in Facultates Animae inferiores, atque in superiores non nisi his harumque prauis Propensionibus interuenientibus, transit. Ast fracta est apud Credentes eiusdem Vis: et Facultates Animae superiores per SPIRITVS S. Gratiam vsque adeo illuminatae et confirmatae sunt, vt pravae istarum Concupiscentiae et ad peccandum Sollicitationibus resistere, in easdem dominari, illarumque Impetum, accedente Exercitio diuturniori, frangere indies magis magisque valeant; quum contra ea in Impiis et Irregentis superiores Mentis Facultates inferiorum quasi Mancipia sint, harumque Impetum ac Libidines et sequi, et quouis Modo fouere cogantur. Mortis igitur Tempore, et dum Vinculum inter Animam et Corpus soluitur, Propensiones pravae, quae per huius Organa ad istam transferunt, et repugnantes sibi praeter ea superiores in Credentibus habuerunt, non possunt non sponte exspirare, et per Decorticationem quasi Animam puram mundamque relinquere; idque eo magis, quo verius Credentes iam ante Mortem Rebus diuersissimis ab illis, in quas Facultates Mentis inferiores feruntur, Generis delectati sunt, coelestibus per Fidem Bonis frui coeperunt, et ad plenam eorundem Possessionem et Vsum, omne terrenorum et Sensibus atque Carni gratorum Desiderium arcentem, per ipsam Mortem enehuntur. Sic sentit b. CANZIVS; sic Rationes subducit: Et summa haec breuis est eorum, quae (e<sup>e</sup>) copiose disputat, et Comparatis illustrat aegrotorum, male sana et nocua pro Morbi Indole vehementer adpetentium, ast post Sanitatem ipsis restitutam nihil in his, quod alliciat, et ad Palatum sit, deprehendentium. Verum eo etiam cuncta haec spectant et directa sunt, vt adpareat, post Intellectus Illuminationem et Voluntatis Sanctificationem, et Vi Domini Facultatibus Mentis superioribus in inferiores restituto, atque adeo ex Causis omnino intrinsicis, et Modo profus naturali, Tempore Mortis in Mentibus finaliter  
Cre-

(ce) Loc. supra cit. §. XXIX—XXXV. p. 35; seqq.



Credientium exstingui, quidquid Peccati in ipsis habitantis residuum erat, Fomitemque Peccati.

## §. XV.

NON SINE Ingenio et Acumine excogitatum a b. CANZIO esse hanc Explicationem Rationis Modique, quo Peccati Fomes in Credentium Mentibus exstinguitur, lubens largior. Neque tamen illa propter ea Difficultatibus maximis caret, aut digna est, quam meo Calculo probein. Vno sane plura ea habet et offert, quae mihi aliisque non possunt non displicere; quorsum quidem refero, quod Peccatum non toti Animae, sed inferioribus tantum eius Facultatibus Sensuum Opera sese insinuasse, et post restitutum per Gratiam illuminantem et sanctificantem superioribus Animae Facultatibus in inferiores Dominium, in Morte et per Mortem spontanea Propensionum prauarum Secretio et Decortatio quasi a Mentibus Credentium fieri statuatur. En propria b. Viri Verba. *Die Suende, inquit (F), ist durch die Gliedmassen des Leibes in die untern Seelen Kraefte eingedrungen. Sobald der Leib nun in dem Grabe abgelegt wird; so schaelen sich die boesen Begierden von der Seele um so viel eher ab, weil sie erstlich mit dem Widerspruch der obern Kraefte da gewesen; folglich zweytens sich der gantzen Seele nicht bemacebtigen koennen, wie doch bey einem Gottlosen geschicht, caet.* Parum haec consentanea sunt intimae, quam SCRIPTURA, istaque Duce Theologi puriores iterum iterumque summoque Studio inculcant, totius Naturae humanae IOB. XIV. 4. PS. LI. 7. IOA. III. 6, qua omnes Animae GEN. VI. 5. VIII. 21. I COR. II. 14. EPH. IV. 28. et Corporis MATTH. V. 29. 30. XVIII. 8. ROM. VI. 12. coll. III. 13, Vires Facultatesque per inhabitans Peccatum Corruptioni; arctissimo illius cum ista Nexui, ex quo eius, quod naturale Homini est, Adpellationem meruit ROM. VII. 17. 21. EBR. XII. 1; et Inhaesionis. Pertinaciae, qua debellaturi illud frustra laborare coguntur ROM. VII. 24. Ast nolo his immorari, eorumque me rigidum Censorem praebere. Rectius forte b. CANZIVS sensit, quam loquutus est. Mis-

fis

(F) l. c. §. XXXIV. p. 42.

sis igitur et praeternis iis, non nisi hoc vrgeo, quod Caussae,  
 ad quas b. CANZIVS Lectores remittit, restitutum scilicet per  
 Gratiam illuminantem et sanctificantem in Credentibus Dominium  
 Facultatum Mentis superiorum in inferiores, et sublata per Mor-  
 tem Vnio inter Animam et Corpus, ad Fomitis Peccati in Anima  
 Exstinctionem minime sufficiant, et efficiendae illi impares sint.  
 In solutam Corpore Animam per istius Organa iterato Peccatum  
 transire, et per Obiecta Sensus externos ferientia eam ad concu-  
 piscendum sollicitare amplius non posse, id quidem facillime con-  
 cesserim. Ast transit tamen Lapsus iam Tempore Peccatum per  
 Sensus in Animam, totamque eam peruasit, et Radices in illa vs-  
 que adeo altos egit, vt vel per ipsam Generationem naturalem a  
 Parentibus ad Liberos transmittatur, Mentique ex semet ipsa abun-  
 dantissimam concupiscendi Materiam subministret. Ecquid igitur  
 obstat? quo minus in Anima vel post semotum Corpus perdurare,  
 suamque Vim atque Efficaciam exserere possit. Num Corpore  
 ad id carere plane nequit, aut Pabulum atque Alimenta ab isto re-  
 petere Necessitate coactum est? Num ad concupiscendum omnis  
 ipsi deficit Occasio et Sollicitatio? simulac deficit ea, quae ex  
 Corpore huiusque Sensus olim ipsi nascebatur. Non negauerim  
 item, dominari in hac Vita apud Credentes, SPIRITVS S. Gra-  
 tia illuminatos et sanctificatos, superiores Mentis Facultates in in-  
 feriores, facileque simul Argumentis a b. CANZIO in Medium  
 allatis persuaderi mihi passurus sim, idem hoc istarum in has Do-  
 minium per Animae a Corpore Seiunctionem minus impeditum,  
 absolutumque magis euadere. Verum quid istud ad Peccatum ex  
 Mentibus Credentium omnino exstirpandum faciat, et quomodo  
 ex eodem Fomitis Peccati in Morte Exstinctionem inferre liceat,  
 id quidem me plane latet. Disparata et Res diuersissimi Generis  
 sunt, dominari in aliquem Vitiu infectum, et Vitiu, quo infe-  
 ctus est, omnino delere. Vt paucis omnia comprehendam, ne-  
 glectis Logicorum Regulis, acutissimus, dum viueret, Philosophus  
 ac Theologus hac in Causa a negata Specie ad negandum Genus  
 argumentatus est, et Fallaciam simul, quae Causae non Causae di-  
 citur, commisit: prius quidem, dum ex remotis per Mortem  
 Concupiscentiae connatae Irritamentis, quae Sensus Caro atque



Sanguis Mentis subministrant, concludit, omnes in vniuersum concupiscendi Causas, Occasiones et Illecebras remotas esse; posterius vero, dum ex Dominio Facultatum Mentis superiorum apud Credentes in inferiores, tanquam ex suo Fonte et Principio, omnimodam Fomitis Peccati apud eosdem in Morte Exstinctionem sua sponte sequi existimat.

§. XVI.

ID INTERIM, ad quod emendata Animae credentis Indoles huiusque Vis minime sufficit, efficietur fortasse per collocatam in eo post Mortem Animae Operam atque Studium. Soluta haec Corpore tota fortasse in eo est, omnique Nifu id agit, vt penitus excutiat residuum hactenus Peccatum: tantumque abest, vt Operam atque Oleum hoc in Negotio perdat, vt Voti potius pedetentim compos fiat, ipsoque Opere tandem inhabitans Peccatum, vel ipso eius Fomite exstincto, conficiat. Age igitur, et pro vero sume, vere Rem ita se habere: et exstinctum in Anima per Causas naturales internas Peccati Fomitem videbis. At enim vero aut omnia me fallunt, aut b. SPENERVS, Vir tanti Nominis, vt diuinus propemodum, et Diuo LVTHERO solus inter nostrates aequiparandus visus sit plurimis, eo, quem finxi, Modo, et interueniente ipsius Animae post Mortem Opera et Studio in ista Fomitem Peccati tandem denique exstingui, serio credidit. Ex scripta Amico cuidam, et a b. WERNSDORFFIO (<sup>ss</sup>) in Lucem, suppresso tamen Scriptoris Nomine, protracta Epistola, quam vere SPENERI esse b. LOESCHERVS (<sup>hh</sup>) disertè docet, constat, primum quidem, quod a Sententia, quae recta a Labiis Via ad superos et in Coelum auolare (*von Mund auf gen Himmel fahren*) Animas Corpore solutas facit, longe alienissimus, eiusque Fautores crassissimae et late grassantis Ignorantiae, vel adfectatae potius Opinionis erroneae arguens, Statum Mortis, quem Intercessionem admittens Iudicium post Resurrectionem demum excipiet, adseruerit;

(gg) ad §. XXXII. Disp. de Animarum separatarum Statu, earundemque cum Viuis Commercio, quae XV. Voluminis I. Disp. academicarum est, et germanico etiam Idiomate donata

legitur in b. LOESCHERI Sammlung der besten vnd neuern Schriften vom Zustand der Seele nach dem Tode.

(hh) l. c. §. LII. p. 655.



rit; deinde vero etiam, quod hanc ob Caussam, maxime tamen propter Vim atque Efficaciam Precibus pro defunctis Hostibus tributam, a Theologis sui aevi vno pluribus inter Papicolas numeratus sit, et perquam aegre id tulerit. Atque idem hic Dolor ex sua ad Papicolas Reiectione non permittit aequo Rerum Arbitro, vt per adfertum Mortis Statum intermedium b. Virum Pontificiorum simul Purgatorium reuocasse, et ad istius Cruciatu Animas Corporibus solutas relegasse dicat. Relinquitur igitur nihil aliud, praefertim quum nefas foret, ea eum Suspicionem onerare, quod Animam vna cum Corpore mori, a Morte saltem ad Resurrectionem vsque dormire crediderit, quam vt talem sibi in Respectu ad Animam Mortis Statum Mente conceperit, qualis, vt Intercessionem pro illa, ita quoque in illa Studium, sui Emendationem perficiendi, et a Sordibus residuis se mundandi, admitteret. His autem ita positis, quid quaeso propius a Vero abesse poterit, quam quod Fomitis Peccati in Anima Exstinctionem non solum post Mortem, et ad Statum, quem Mortis adpellat, reiecerit, sed a proprio etiam Animae Studio, in Statu Mortis ad istum exstinguendum collato, repetierit.

#### §. XVII.

IAM QUID in hac Ratione reuocandi ad Caussas naturales Exstinctionem Fomitis Peccati in Animabus Credentium prae aliis desiderari et reprehendi debeat, vel me tacente Nemo non videt. Intermedio Mortis Statu carere ea nequit, eundemque simul a Morte ad Resurrectionem vsque protendit et perdurare facit. Hic necessario requiritur, quo Animae Corpore solutae Otium atque Opportunitas suppetat, de consummanda sui Emendatione, et vel ipso Peccati Fomite exstinguendo laborandi. Cessante igitur et in merum Figmentum abeunte hoc intermedio et Mortis dicto Statu, neque ab ipsa Anima, interueniente eius in eo collocata Opera, et ad id collato Studio, Peccati Fomes in illa exstingui poterit. Ast abit certissime iste in merum Figmentum, et Fundamento non tam nititur ruinoso, quam omni in vniuersum destituitur. SCRIPTURA eum plane non nouit. Aduersatur potius isti, eumque claris perspicuisque Testimoniis damnat et reiicit



ECCL. XII. 7. LVC. XVI. 22. 23. 2 COR. V. 8. PHIL. I. 23. Quae quum ita sint, fieri etiam nullo Modo potest, vt Anima Corpore soluta post Mortem ipsamet Exstinctioni Fomitis Peccati Operam nauet, eamque suo Studio suaque Virtute procuret et perfiat,

§. XVIII.

DEFICIUNT itaque, vna cum externis, internae etiam Caussae naturales, ad exstinguendum in Mentibus finaliter Credentium Peccati Fomitem compositae atque sufficientes: indeque tuto satis colligere et inferre licet, per Caussas naturales et Modo naturali Fomitem Peccati in his omnino non exstingui. Quodsi igitur is exstinguitur; quemadmodum vere et certo certius exstinguitur; supernaturali Ratione, et per Caussas a Natura remotas eum exstingui oportet. Ipsa interim de his Quaestio in tres alias resoluatur. Quae enim supernaturaliter fiunt, ea fiunt aut per immediatam, vel Potentiae, vel Praesentiae specialioris diuinae, Operationem, aut per Media diuinitus ad id constituta compositaque, atque adeo per Actus Gratiae ordinarios. Idem hinc de supernaturali Fomitibus Peccati in Mentibus Credentium Exstinctione Iudicium ferri debet. Exstinguetur is, aut per immediatam Potentiae diuinae Operationem et veri Nominis Miraculum, aut per Virtutem et Efficaciam Praesentiae diuinae specialioris, aut Mediorum ad id diuinitus ordinatorum Ope, et per Actus Gratiae ordinarios. Num autem hac, illa, istaue praecise Ratione vere exstinguatur? id quidem per singula eundo curatius examinandum erit.

§. XIX.

PER VERI Nominis Miraculum ex Mente quorundam Theologorum Ecclesiae nostrae Exstinctionem Fomitis Peccati in Animabus finaliter Credentium fieri, obseruat Auctor anonym. *der schriftmaessigen Eroerterung* <sup>(ii)</sup>. Non memini tamen vllius, neque inter eos, quos euoluere mihi licuit, aliquem deprehendi, qui disertis id Verbis adfirmauerit. B. noster KOENIGIUS quidem, prout ex supra allegatis constat, non in Cinefactione, sed ipsa Animae, quae primum et immediatum istius Subiectum est, a Corpore Solutione, Peccati Fomitem tolli docet. Miraculi et Ex-

(ii) p. 96.

finctionis in Morte per Miraculum nullam iniicit Mentionem.  
 Quae b. QVENSTEDIUS, b. NEVMANNVS, et b. IAEGERVS ea  
 de Re habent, consentanea omni ex Parte istis sunt. B. BAVM-  
 GARTENIVS vero, qui solus ad Exstirpationem Peccati totalem,  
 et Fomitis Peccati Exstinctionem Operationem DEI supernatura-  
 lem requirit <sup>(kk)</sup>, veri tamen Nominis Miraculum propter ea ad  
 istam requirere dici, absque errandi Periculo, nequit. Induci inte-  
 rim ad id me facile patiar, vt quotquot haecenus Theologorum  
 nostratium Fomitem Peccati in Animae a Corpore Solutione, at-  
 que adeo in ipso Mortis Articulo exstingui statuerunt, eos etiam  
 omnes credam Miraculum veri Nominis pro Causa illum exstin-  
 guendi media habuisse. Sit quidquid sit. Breuissima sane Via in-  
 cedit et progreditur ad dirimendam Litem, qui a DEO, in ipso  
 Mortis Articulo, ex Potentia absoluta, per Operationem huius  
 immediatam et veri Nominis Miraculum, Fomitis Peccati in  
 Mentibus Credentium Exstinctionem perfici statuit. Nihil in se  
 pugnantis Sententia habet, quam tuetur. Puram omni ex Parte  
 castamque SVMMVM NVMEN per Omnipotentiae Actum et Ope-  
 rationem immediatam in prima Creatione Animam Hominis con-  
 didit ECCL. VII. 30. Et, quae ad id suffecit, diuina eius Vis, ea  
 profecto abunde etiam sufficit ad purgandam illam a Sordibus Pec-  
 cati, quibus vel post sui Regenerationem et Renouationem iniqui-  
 nata manet, suamque isti, exstincto Fomite Peccati, Castitatem pri-  
 maeuam restituendam. Fieri igitur idem potest: et quod vere fi-  
 at, propter ea necessarium videri poterat, quod residuus Peccati  
 Fomes nimis alte infixus Menti inhaeret, et plane naturalis ipsi  
 existit ps. LI. 7. ROM. VII. 21. 24. EBR. XII. 1. Ipsam enim  
 Mentis Naturam immutare, et ex illa Peccati Fomitem suo Loco  
 mouere, ecquis non crederet? hoc solius DEI esse, et Actum  
 Omnipotentiae ipsius postulare.

§. XX.

IMPETRARE nihilo tamen minus a me non possum, vt in  
 hanc Sententiam Pedibus eam, dictoque Modo, per Miraculum in-  
 quam

(kk) in der evangelischen Glaubens-  
 lehre Tom. II. Part. II. Artic. II.

§. VII. Thef. VI. n. III. pag.  
 587.



quam veri Nominis atque Actum Omnipotentiae diuinae immediatum, Peccati Fomitem in Mentibus finaliter Credentium exstingui statuum. Secat certo certius, non soluit Nodum, qui in Rerum et Euentuum Rationibus reddendis Miracula confestim aduocat, et ad immediatas Omnipotentiae diuinae Operationes se prius recipit, quam in vniuersum et manifesto omnes aliae, ex quibus Phaenomenon derinari et explicari potest, deficiunt Causae, aut proxime ad harum Indolem accedentes; quales quidem omnino atque manifesto deficere, euictum Nemo hactenus dedit, et saluis iis, quae in sequentibus disputabuntur, cum Fundamento in Re adfere Nemo poterit. Ingens praeter ea est atque nimia Miraculorum Multitudo, quam isthaec Sententia de Fomitis Peccati in Mentibus finaliter Credentium Exstinctione infert atque introducit. Quo quot ex finaliter Credentibus successiue Diem obeunt supremum, totidem etiam vel ad solam Fomitis Peccati in ipsis eorumque Mentibus Exstinctionem necessaria, et a DEO facienda forent Miracula. Num autem Sapientiae SVMMI NUMINIS infinitae consentanea erit, eiusque in Gloriam cedere potest tanta, omnemque Modum excedens Miraculorum Multiplicatio, Opinioque, quae eam statuit atque imperat? Accedit, quod parum Roboris habeat Argumentum, quod pro ea militare videtur. Ducitur id inde, quod Fomes Peccati eius, quod naturale Mentibus Credentium est, Rationem habeat, istisque vsque adeo tenaciter inhaereat, vt non nisi Virtute omnium Rerum creatarum Viribus superiori exstingui et e Medio tolli queat. At licet minime negauerim, Rem ita vere sese habere: propter ea tamen istud non statim procedit. Resoluitur potius in vitiosam a Genere ad Speciem determinatam concludendi Rationem. Eorum enim, quae non nisi Virtute omnium Rerum creatarum Viribus superiori procurari et perfici possunt, quaedam tantum, non omnia atque singula, immediatam Omnipotentiae diuinae Operationem et veri Nominis Miraculum sibi deposcunt. Sufficit ad alia specialioris Praesentiae diuinae Vis, ad alia Mediorum diuinitus conlitorum diuinaque Virtute praeditorum Vfus (<sup>u</sup>).

§. XXI.

(u) conf. A VICTOR anon. der schrift-  
maessigen Eroerterung, pluribus con-

tra Exstinctionem Fomitis Peccati per  
Miracula disputans p. 97. seqq.



§. XXI.

SUPERNATURALITER igitur licet in Mentibus finaliter  
 Credentium Peccati Fomes exstinguatur, minime tamen is exstin-  
 guetur in illis per immediatam Omnipotentiae diuinae Operatio-  
 nem et veri Nominis Miraculum. Sic autem id forte fiet Virtute  
 et Efficacia Praesentiae diuinae specialioris, illius scilicet, quae  
 cum Visione DEI beatifica, et Animae Corpore solutae ad illam  
 Admissione coniuncta est. Vim aliquam in illa ad exstinguendum  
 Peccati in Mentibus Credentium Fomitentem inesse, inficias Nemo  
 facile iuerit. Tantum ea olim apud Angelos, Principatum retinen-  
 tes, valuit, vt per eandem in bono confirmati, et omni in uniuersum  
 peccandi labendique Periculo erepti nunc sint. In Ore id omnium fe-  
 re Theologorum nostratum est. Quidni igitur ista idem circa  
 Credentes Vita functos, horumque Animas praestare credi dici-  
 que posset? Mortalia Corpora inhabitantes illae in sola Fide am-  
 bularunt: et per omne, quo id factum est, Temporis Spatium  
 delituit in ipsis Peccati Fomes, peccandique is Auctor Sualorque  
 continuo ipsis exstitit. Ast Corporis tandem denique Vinculis li-  
 berantur, et a Fide simul ad Visionem transeunt 2 COR. V. 7. De-  
 feruntur ad  $\pi$ g beatorum, ad Regnum Gloruae in Coelis, et ad  
 Sensum atque Intuitionem ipsius NUMINIS SVMMI, quae sum-  
 ma purissimaque Voluptate eas beat, admittuntur. Deferuntur  
 autem ad illud, et ad hanc admittuntur, statim quidem a primo  
 Seiunctionis a Corpore Momento, ast successiue tantum et per  
 Gradus, hunc quidem in Modum, vt DEVS in Gloria sua se il-  
 lis, ad Regiones coelestes properantibus, debiliori primum Ratio-  
 ne et quasi e longinquo, tum vero et quouis Momento propius,  
 et tandem denique, dum istas vere ingressae sunt, plene etiam et  
 cum ineffabili illarum Voluptate conspiciendum praebeat. Ab An-  
 gelis enim in Sinum ABRAHAE delati LVC. XVI. 22. ad DEVM,  
 qui illas dedit, reuertuntur ECCL. XII. 7. Et sine Motu, qui  
 licet celerrimus sit, in se tamen successiue manet, et gradatim  
 atque cum Adproximatione semper maiori fit, vix ac ne vix qui-  
 dem Deportatio ista Animarum per Angelos, et hic earundem  
 ad DEVM Reditus Mente concipi poterit. Quodsi igitur beatifica

D DEI





DEI Visio sufficit ad Angelos sanctos in bono confirmandos: ec-  
quis sibi non persuaderet facile? per eandem etiam in Animabus  
Credientium et pie defunctorum, quo propius illis DEVM in Glo-  
ria sua conspiciere datur, eo etiam plenius exstingui, quidquid  
Peccati in illis residuum erat, eademque sub Ingressu in Regnum  
Coelorum ab omni Fomite Peccati immunes perfecteque sanctas  
constitui.

§. XXII.

FAVET, si quid recte video, b. BAVMGARTENIVS Rationi  
huic, renocandi Exstinctionem Fomitis Peccati in Mentibus Creden-  
tium ad Causas suas, eandemque ex his explicandi. Solutionem Vin-  
culi, non inter Animam solum et Corpus, sed etiam inter Partes Cor-  
pus constituentes, ad Exstinctionem Fomitis Peccati requiri, largitur.  
At negat simul, Mortem solam Rem omnem confecturam esse, diserte-  
que adserit, Operatione praeter ea Opus esse supernaturali, eo potissi-  
mum directa, vt acceleretur Mentis in Cognitione et Intuitione Dei  
Incrementum. En propria ipsius Verba. *Die Beschaffenheit*, in-  
quit <sup>(mm)</sup>, *derselben (der voelligen Hebung vnd Ausrottung der Erbsuen-  
de) kan zwar nicht vollstaendig erklachret werden, so wenig als die  
Fortpflanzung dieses natuerlichen Verderbens ihrer innern voelligen  
Moeglichkeit nach eingesehen werden kan. Doch ist soviel davon zu  
bestimmen, daß selbst die Aufloesung vnserer gegenwaertigen Verbin-  
dung, sowohl der Seele vnd des Leibes, als auch der Theile des Lei-  
bes, dazu wird erfordert werden. — — Jedoch wird es der Tod  
an sich auch nicht ausrichten, weil die Erbsuende nicht eigentlich im  
Leibe befindlich ist, sondern es wird eine uebernatuerliche Wirkung  
Gottes dazu erfordert werden, sonderlich in der Verschaffung  
eines schnellen Wachsthums in der Erkaentnis vnd dem Anschauen  
Gottes.* Qui autem b. Vir, dum circa Quaestionem: quomodo  
Peccatum exstirpetur, eiusque Fomes exstinguatur? haerebat, Co-  
gnitionis et Intuitionis DEI, Incrementi in illa accelerati, et Ope-  
rationis supernaturalis istud promouentis Mentionem iniicere po-  
tuisset, nisi Exstinctionem Fomitis Peccati a Visione praeprinis et  
Intuitione DEI, atque Incremento in illa pendere credidisset, id di-

(mm) l. c. p. 587.

dictu perquam difficile foret. At anim vero et mihi hanc Fomitis Peccati Exstinctionem ex successiua et graduale ad Intuitionem et Visionem DEI beatificam Admissione deriuandi Rationem aridere et placere, ingenue fateor. Consentanea ea est iis, quae de Confirmatione sanctorum Angelorum in bono, ad quam Fomitis Peccati in Credentium Animabus Exstinctio proxime accedit, istiusque Fonte et Principio pie credit nostra Ecclesia, nititurque Argumentatione probabili, quae a Similitudine Effectus ad Causae et Geneseos Similitudinem ducitur. Neque ea frigidam Favoribus Status intermedii suffundere Jure cenleri, eaque propter damnari repudiarique debet. Aliena omnino ab Opinione eiusmodi Status intermedii illa est. Interiectum quidem aliquod inter Mortem atque Ingressum Animae Corpore solutae in  $\pi$  beatorum et Regnum Gloriam Temporis Interuallum admittit, Fomitumque Peccati, dum hocce labitur, in illa exstingui sumit. Tantum vero abest, vt per idem Temporis Interuallum Animam separatam Visione DEI beatifica priuet, eandemque variis Cruciatibus in sui a Sordibus et Reliquiis Peccati Purgationem subiiciat, vt potius diserte praestruat, a primo statim, quod Mortem insequitur, Momento beatificae DEI Visionis Animam vere participem fieri, et intimius tantum successiue et per Gradus ad illam admitti, donec ad Finem in ipsum  $\pi$  beatorum, Gloriamque summae Sedem recipiatur. Nisi igitur alia aequae aut magis facilis, minusque adhuc impedita Exstinctionem Fomitis Peccati in Mentibus Credentium, huiusque Modum explicandi Ratio datur: dignam omnino, quam amplectar meamque faciam, hanc reputo. Num autem alia, aequae aut magis adhuc facilis, vere detur, patebit ex iis, quae disputanda restant.

§. XXIII.

IN CENSVM scilicet hic quoque veniunt Actus Gratiae ordinarii. Supernaturaliter omnino exstingueretur in finaliter Credentibus Peccati Fomes, si his interuenientibus eorumque Virtute exstingueretur. Atque sic sponte nascitur, et excuti item debet Quaestio de Exstinctione Fomitis Peccati per eosdem. Hanc Quaestionem Auctor anonymus *der schriftmaessigen Erörterung* adfirmat, copioseque et cum Acumine



mine pariter atque Eruditione haut vulgari pro Thesi sua stabilienda disputat (<sup>mm</sup>). Prouocat ad Finem et Scopum Actuum Gratiae SPIRITVS S. ordinariorum: quumque non alius is sit, quam vt Homines peccatores Salutis per CHRISTVM partae participes reddantur, colligit inde, quod non possint non iidem sufficere ad quaeuis Impedimenta remouenda, quae ab ista Salute eiusque Possessione et Fruitione Hominem arcere valent, quaeque solo Peccato Peccatique Fomite apud Credentes Diem supremum subeuntes continentur (<sup>oo</sup>). Allegat item Locum Paullinum TIT. III. 5-7, qui per Gratiam SPIRITVS S. largiter per IESVM CHRISTVM, Saluatorem nostrum, in nos a DEO effusum, iustos Vitaeque aeternae Haeredes nos fieri testatur, et ex eo probare allaborat, quod per Gratiam etiam SPIRITVS S. et Actus Gratiae ordinarios iis, qui in Fide moriuntur, Vires Facultatesque conferantur, perfectam praestandi Obedientiam, Praeceptisque Sanctitatis omni ex Parte satisfaciendi; quo quidem facto Peccato Fomitique Peccati nullus in posterum Locus relinquatur (<sup>pp</sup>). Pugnat porro pro Actuum Gratiae ordinariorum Sufficientia ad exstirpandum penitus Peccatum Originis; idque hoc potissimum Argumento, quia SPIRITVS S. Gratia ad ea omnia, quae CHRISTVS sua Satisfactione et Merito nobis adquisiuit, quorsumque omni Dubio procul vel ipsa Sanctitas primigenia, Immunitasque ab omni, quod Peccati Rationem habet, pertinet, adplicanda et conferenda sese extendere debeat (<sup>qq</sup>). Vrget non minus Defectum Resistentiae in iis, qui in DOMINO moriuntur, morosae, quae sola Gratiae SPIRITVS S. pro Peccato superabundanti ROM. V. 20. 21, Impedimento esse possit, quo minus Peccatum exstirpet, Fomitemque eius exstinguat (<sup>rr</sup>). Tandem vero denique Causae suae Praesidium inde quoque repetit, quod Peccati inhabitantis Vis per Actus Gratiae SPIRITVS S. ordinarios indies magis magisque frangatur, et tantum non penitus fracta per eosdem Gratiae Actus ordinarios Tempore Mortis absque vilo Negotio tota confici, planeque exstingui possit (<sup>ss</sup>).

## §. XXIV.

(<sup>mm</sup>) p. 84-96.(<sup>oo</sup>) l. c. p. 84-86.(<sup>pp</sup>) ib. p. 87-89.(<sup>qq</sup>) ib. p. 89-92.(<sup>rr</sup>) ib. p. 92-95.(<sup>ss</sup>) ib. p. 95 seqq.

## §. XXIV.

EN IGITUR Cumulum Argumentorum, quibus innixus Au-  
ctor anonymus adferit et propugnat, Peccati Fomitem in Mentibus finaliter Credentium per Actus Gratiae ordinarios Tempore Mortis exstingui, quibusque post interiectam (tt) Refutationem illorum, qui ad Miracula confugiendum hic esse censent, Dubiorum quoque, ab Exemplis, partim Infantum, praematura Morte aut ante aut statim post Baptismum occumbentium, partim adultorum, nouissimis demum Vitae suae Diebus ad DEVM conuersorum et Poenitentiam agentium, petitorum, Solutionem addit (vv). Par quidem singulorum non est Robur. Dantur potius illa inter, quae curatius examinata Punctum non ferire, nihilque probare deprehenduntur. Ast iudicandum de reliquis longe aliter erit. Non contemnenda illa sunt, et Veri Speciem perimagnam Sententiae conciliant illis superstructae, et perpulchre vniuersae de Gratia SPIRITVS S. adplicatrici Doctrinae respondent. Parum hinc quoque abfuit, quin captus ipsemet iisdem sum, tantumque eorum Vi tribuerim, vt eam Rationem explicandi Exstinctionem Fomitis Peccati in Mentibus Credentium, quae eius Principium atque Causas in Actibus Gratiae ordinariis quaerit, omnium optimam censuerim. Verum sollicite magis omnia pensitanti alia, eaque grauissima, occurrerunt, quae alienam Mentem induere iusserunt. Fac scilicet, Peccati Fomitem eo, quo Credentes exspirant, Momento per Actus Gratiae ordinarios in horum Mentibus exstingui: exstinguatur, necesse est, ideim etiam per adhibita tunc Temporis denuo Media Gratiae, Verbum atque Sacramenta. Qui enim sine his fiunt, ad Actus Gratiae referri debent, non ordinarios, sed extraordinarios, qui quidem omnes, si discesseris ab Actibus Gratiae praeuientis, cum Miraculis coincidunt, qualesque hac nostra nouissimaque Mundi Aetate non vsque adeo facile, omnium minime vero apud Adultos, admiserim. Num autem in ipsa Mortis Articulo apud Credentes plerosque, ne de omnibus quid dicam, salutaris Mediorum Gratiae Adplicatio et Vfus Locum inueniet? Haut paucos illorum Mentem bene compositam

D 3

Sen-

(tt) l. c. p. 96—104.

(vv) ib. p. 104 seqq.



Sensusque integros ad vltimum vsque Vitae Halitum seruare, et sacra Synaxi munitos, inter adstantium Suspiria et Preces, et Acclamations Ministrorum Verbi, exspirare, lubens largior. At enim vero longe pluribus minus ita licet esse beatis. Subitanea alii Morte, Negotiis suis vacantes, et ab Auditu Verbi Vsuque Sacramentorum interclusi, obeunt. Funguntur alii Vita post praeuiam atque totalem omnium, tam Mentis, quam Corporis, Virium Prostrationem, quae omnem Spem Fructus, ex iterata Mediorum Gratiae Adplicatione in isto Statu ab illis percipiendi, interuertit. Noui hinc Gratiae Actus ordinarii Tempore Mortis neque in hos neque in istos cadunt: suaque inde sponte sequitur, fieri omnino non posse, vt per tales Gratiae Actus ordinarios in Mentibus Credentium, maximae saltem Partis illorum, Peccati Fomes Tempore Mortis exlinguatur.

§. XXV.

QVAE QVVM ita sint, multo quoque confidentius ad istam Sententiam, quam §. XXI. in Medium produxi, et Argumenta §. XXII. allata commendant, redire, meoque eam Calculo probare licebit. Idem igitur dum facere nullus dubito, haec quoque eorum, quae de Ratione Modoque statuo, quo Peccati Fomes in finaliter Credentibus exlinguitur, Summa est. In Corporibus Credentium is qua talis et formaliter, vt Peccati scilicet Fomes, spectatus exlinguitur in Morte et per ipsam Mortem: post Mortem vero et per Cinesfactionem etiam materialiter, vt Principium Corruptionis et Destructionis consideratus. In Animabus contra ea Credentium exlinguitur post Mortem demum, ast ita, vt Exstinctionis Initium statim a Morte fiat, et successiue, pro intimiori illarum ad beatificam DEI Visionem Admissione, per hanc ipsam perficiatur. Post deductam autem eo Rem, vt singulis rite ponderatis ita pronuntiare valeam, peroratam quoque Causam omnem censeo, Scriptionique huc vsque protractae Finem impono.



NOBILISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO  
C. I. BLUMENTHAL

S. P. D.

HENRICVS VALENTINVS BECKER

MATHEM. PROF. ET AD AED. IAC. ARCHIDIAC.  
ACADEMIAE HODIE RECTOR.

Quum in arenam solemnem descensurus partes Defensoris Disputationis Theologicae suscepisti: omnibus TE probas, VIR NOBILISSIME, omnesque boni bene de TE existimant. Qualem TE in praelectionibus meis Philosophicis deprehendi, auditorem diligentia nemini secundum, talem TE in scholis Theologicis praebuisse certus scio. Nullus itaque dubito, quin defensione hujus Dissertationis nobis omnibus specimen editurus sis, dexteritatis TVAE et eruditionis haud proletariae. Quod publicum Specimen TIBI ex animo gratulor, et DEVM supplex imploro, vt studiis TVIS benedicat, forti TVAE prospiciat, eamque ex voto euenire jubeat. Vale et res TVAS age feliciter. Scribeb. Rostochii d. IX. Sept. An. MDCCLXV.


PRAENOBILISSIMO. ATQVE. DOCTISSIMO  
DOMINO  
RESPONDENTI  
FAVORI. AMICO. ET. AUDITORI  
AESTVMATISSIMO  
S. P. D.  
P R A E S E S.

*Vix ac ne vix quidem effluxit, PRAESTANTISSIME BLUMEN-  
THAL! Biennium, ex quo academicis Studiis in nostra Varso Balthica  
vacare coepisti, et inter plures alias meas quoque Praelectiones theolo-  
gico dogmaticas, critico isagogicas et historico ecclesiasticas fre-  
quentasti, quum, Adsiduitatis et Profectuum in Litteris sanctioribus Ra-  
tionem redditurus, ad defendendam publice, quam scribere me noueras,  
Dissertationem academicam sponte TE potius obtulisti, quam excitari  
passus es. Res sane id est insoliti quid nostris Temporibus referens, et  
ad communem Doctorum academicorum Querelam de anxie nimis, et  
frustra tamen saepe, ad publicos Disputationum Actus circumspectendis  
et conquirendis Respondentibus, quodammodo infirmandam apta compo-  
sitaeque. Ast vulgari etiam maior inde TIBI nascitur Laus: eandem-  
que TVA in ipso, qui instat, Conspectu erudito Dexteritas et Virtus  
certo certius augetur. Age igitur, et laetis Omnibus ad huncce me co-  
mitare. Ast acriter simul insta coeptis, et cumulate exple conceptam  
de TE Parentum atque Patronorum Spem. Memento, Perillustis et  
Magni DARIUSII, ex Sorore Nepotem TE esse, et Gloriam ipsius acmul-  
lus, atque ad egregia quacuis viriliter exurgens, dignum TE tanto A-  
nunculo praesta. SVMVM autem, quod omnia moderatur, NVMEN be-  
nedicat Conatibus TVIS. Seruet et augeat TIBI Animi Corporisque Vir-  
res, et pro ea, qua abundat, Gratia exoptatissimos in Studio Littera-  
rum, tam humanarum, quam diuinarum, TIBI largiatur Successus.  
Praesideat quoque idem quam clementissime Rebus TVIS, faxitque, ut  
Parentum atque Necessariorum Gloria, Patriae Ornamentum, et Eccle-  
siae Decus quantocius euadas. Ita vale meque amare perge. Dopro-  
p. e Museo d. XII. Septembr. MDCCLXV.*











solche verbotene handel, seint straffwürdig, und dem  
terworfen, dahin sie die Rüge-Männer bringen sollen:  
Verbrechen und fast unzählig andere mehr, so wieder Gots  
und die moralischen Gesetze streiten, so lange solche nicht  
her ärgernuß, und thathandlung aufgebrochen, noch für  
nal Richter gebracht, seind bisshero nicht beachtet, noch  
für sünde gehalten, dahero die Bosheit mehr und mehr  
en, so dennoch durch die hülffe Gottes verhütet werden  
dieses Sitten- und moral Gericht, durch Bestellung der  
erumb wird stabiliret werden.

en aber die Rüge-Richter hiebey aller bescheidenheit sich  
en, und unterscheid zumachen, unter schlechten Verbre  
is menschlicher Schwachheit geschiehet, und durch ohnachts  
gangen werden, oder da zugleich Bosheit mit untermen  
r auch aus lauterm Vorsatz, und malitz geschehen, den  
schaden, schimpff und Ungelegenheit zubringen, wiederumb  
rbrechen in conatu nur bestanden, oder zur that und wür  
erschlagen, item ob die verbrechere und beleidiger zur Ver  
neiget, ihre fehler selbst bekennen, und verbitten, oder ob  
slich wieder glaubhafte anzeige verneinen, ihre böse tha  
ehen gleich in Worten oder Wercken, zuvertheidigen, und  
n sich unternehmen, ob sie Besserung an ihnen zuspüren oder  
e mehrmahls schon, in einem und andern Laster betroffen,  
eret, und keine emendation geachtet, bey diesen und an  
nmenden umbstenden die Mensur der Bestrafung zuneh  
arnach solche zulindern oder zuschärffen seyn wird;

auch die Verbrechen so beschaffen, daß dieselben zur gefenck  
, und darauff erfolgende Bestrafung solten gedeien, ist dem  
Gericht, oder Fiscali davon bericht abzustatten, und die  
g zugewarten.

der Bestrafung seind auch die Gradus admonitionis, &  
Correctionis, nicht aus der acht zulassen, und solche für  
a zuversuchen, weil dieses moral Gerichte, nicht, wie bey  
niali judicio gebreuchlich, mit Ketten und Bänden, noch  
schwert geführet wird, wüste aber in Contumaces einige  
ensura ergehen, so bannum Ecclesiasticum nach sich zöge,  
ist

